

## LIBER QUARTUS

*Liber agit in tribus partibus de Sacramentis, de sacramentalibus,  
de cultu divino et de locis temporibusque sacris.*

### *De Ecclesiae munere sanctificandi (834-839)*

Munus sanctificandi Ecclesia adimplet peculiari modo per sacram liturgiam, in qua hominum sanctificatio per signa sensibilia significatur et integer cultus Dei publicus exercetur.

Sacra liturgia, idest cultus divinus, est complexus actuum, quibus Dei, Sanctorum ac Beatorum excellentiam et nostram erga Eos subiectionem testamur.

Munus sanctificandi exercent Episcopi, presbyteri, diaconi. Propriam sibi partem habent quoque christifideles actuose in liturgicis celebrationibus participando et nominatim parentes vitam coniugalem ducendo et educationem filiorum procurando.

Ecclesia, quae «populus sanctus» est sub Episcopis adunatus et ordinatus, sacram liturgiam ordinat et consultit eius utilitati cum omnibus Sacramentis, a Christo Domino institutis ac praecipue sanctificationis et salutis media disponit.

Sacrae liturgiae moderatio a Sede Apostolica et ad normam juris ab Episcopo diocesano pendet.

Orationibus quoque munus sanctificationis peragit Ecclesia ut christifideles sanctificati sint in veritate.

ANNOTATIO: Respectu Codicis 1917 doctrina sanctificationis collationem et ratiocinationem mutat. Generatim intelligenda sunt canorum brevitas, reductio, abolitio et rara amplificatio. Inflati praeceptis Concilii Vaticani II, canones autem in maius celebrant sacram liturgiam singulatim conspiciendo Eucharistiam et Sacmenta.

## PARS I

### *De Sacramentis (840-848)*

Sacmenta novae Legis definiri possunt res sensibiles quae ex stabili institutione Christi vim habent efficiendi sanctitatem seu gratiam quam significat. Per Sacmenta fides exprimitur et roboratur, cultus Deo redditur.

Unius supremae Ecclesiae Auctoritatis est probare vel definire quae ad Eorum validitatem sunt requisita. Est eiusdem aliasve Auctoritatis competentis decernere quae ad Eorum celebrationem, administrationem et receptionem licitam servanda sint.

Qui baptismum non recepit valide admitti nequit ad cetera Sacra-  
menta.

Ad plenam initiationem christianam requirantur Sacmenta bap-  
tismi, confirmationis et eucharistiae, quae inter se coalescunt.

Ministri sacri denegare non possunt Sacmenta iis qui ad Eadem  
recipienda praeparati rite et dispositi sint.

Ministri catholici Sacmenta licite administrant solis christifide-  
libus catholicis.

Licet christifidelibus, quibus physice aut moraliter impossibile sit  
accedere ad ministrum catholicum, Sacmenta poenitentiae, eucharis-  
tiae et unctionis infirmorum recipere a ministris non catholicis. Pa-  
riter a ministris catholicis Sacmenta obtinere possunt membra Eccle-

siarum orientalium, quae plenam communionem non habeant cum Ecclesia catholica.

In Sacrementis recipiendis rationem fautricem habent autem qui in plena communione non sint, sed cum certa condicione.

Sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis, quae characterem imprimunt, iterari nequeunt. Stante dubio rationabili, sub condicione conferantur. Minister Sacraenta celebrat fideliter, secundum proprium ritum et libros liturgicos.

Sacra olea, quae quibusdam Sacraentis administrandis inserunt, esse debent ab Episcopo benedicta; neque adhibeantur vetera, nisi necessitas urgeat. Parochus olea sacra a proprio Episcopo petere debet et servare in decenti custodia.

Minister pro administratione Sacraentorum nihil petat praeter oblationem a competenti Auctoritate definitam.

**ANNOTATIO:** Evangelizatio et catechizatio subiectorum ut melius mysteria Sacraentorum suspiciantur. Administratio Sacraentorum membris Ecclesiarum, quae plenam cum Ecclesia catholica communionem non habent.

### *De Baptismo (849-878)*

Baptismus est Sacraentum novae Legis a Christo Domino institutum, quo per ablutionem aquae sub expressa invocatione SS. Trinitatis homo spiritualiter generatus est.

Qua in definitione indicantur genus et differentia specifica, nempe materia et forma necnon effectus proprius eiusdem Sacraentum, unde recte definitum est: Sacraentorum ianua.

Excepto casu necessitatis urgentis, baptismus ministratur secundum ordinem praescriptum in liturgicis libris.

Subiectus baptismi capax est sive adultus sive parvulus seu infans. Ut adulti baptizari queant oportet scientes et volentes Sacraentum recipient, probe sint instructi circa fidei mysteria atque in vita christiana probati sint per catechumenatum. Si autem de parvuli baptismo agatur, parentes et patrini de significatione et obligationibus edoceantur.

tur. Quae in canonibus de baptismo parvuli habentur praescripta, applicantur infantibus et iis qui rationis usum non habent.

Materia licita baptismi est sola aqua munda atque benedicta, extra casum necessitatis.

Duo modi abluerendi indicantur: immersio, cum baptizandus in piscina immergitur; infusio, cum aqua perfunditur.

Egregie Codex animadvertisit baptizando imponere nomina sensu christiano non aliena.

Si fieri possit, commendatur ut baptismus ordinarie celebrari possit die dominica aut in vigilia Paschatis.

Proprius locus baptismi administrandi est baptisterium in ecclesia paroeciali vel in alia ecclesia aut oratorio intra paroeciae fines posito. Praeter casum necessitatis, baptismus ne conferatur in domibus privatis et nosocomiis.

Ministri ordinarii baptismi sunt Episcopi, presbyteri, diaconi, parochi in primis. His absentibus aut impeditis, licite catechista aliusve ad hoc munus deputatus Sacramentum confert. Item quaelibet persona debita intentione mota, in casu necessitatis.

Nemini licet sine debita licentia baptismum conferre in territorio alieno, excepto casu necessitatis: baptismus enim confertur ratione domicilii et apud proprium parochum.

Statim post baptismum adultus confirmatur et celebrationem eucharisticam participat.

Parentes curent ut parvuli post nati intra priores hebdomandas baptizentur; sine ultra mora baptizentur infantes in periculo mortis.

In dubio collati baptismi Sacramentum sub condicione conferatur; si autem agatur de baptizatis in communitate ecclesiali non catholica, baptismus non sit sub condicione.

Fetus abortivi viventes baptizentur.

Esse potest baptizando patrinus dari unus tantum aut duo diversi sexus. Patrinus ita nuncupatur, quia est quasi pater spiritualis et ideo diligenter curare debet ut baptizatus vitam christianam praebeat. Condiciones requisitae ut quis licite sit patrinus sunt: designatus sit ab ipso baptizando eiusve parentibus; decimum sextum aetatis annum

expletaverit; catholicus et confirmatus sit; nulla poena canonica innovatus sit; nec sit pater vel mater baptizandi.

Nisi adsit patrinus baptismi, administratio habetur coram saltem teste, qui collationem baptismi probare possit.

Ad collatum baptismum comprobandum sufficit declaratio testis aut ipsius baptizati iusiurandum.

Parochi debent nomina baptizatorum sedulo inscribere in libro baptizatorum. Quod si baptismus neque a parocho administratus fuerit, minister, quicumque est, de collato baptismo certiore facere debet parochum ecclesiae in qua Sacramentum administratum est, ut baptismus in libro adnotetur.

ANNOTATIO: Codex sollicitudinem habet baptismi caerimoniam evulgare.

### *De sacramento Confirmationis (879-896)*

Confirmatio definiri potest: Sacramentum novae Legis quo per unctionem et manus impositionem sub certa verborum forma baptizatis confertur gratia Spiritus Sancti et robur ad firmiter credendum atque fidem strenue profitendam.

Effectus Confirmationis sunt: augmentum gratiae sanctificationis et donorum Spiritus Sancti, gratia sacramentalis corroborans baptizatum ad perfectam fidei professionem, impressio characteris quo baptizatus militiae fidei adscribitur.

Materia potest esse proxima et remota:

Materia proxima est unctio facta a ministro, in forma crucis, in fronte confirmato simul cum impositione manuum.

Materia remota est sacrum chrisma compositum olei olivae cum balsamo commixto, ab Episcopo benedicto.

Ordinarius Confirmationis minister est Episcopus, sed presbyter etiam esse potest jure communii aut peculiari concessione a proprio Episcopo concessa.

Omnis et sola persona baptizata nondum confirmata subiectus est

capax Confirmationis, quae usu rationis polleat et sufficienter instruta esse debet.

Ex vetustissimo Ecclesiae more, ut in Baptismo, ita etiam in Confirmatione adhibendus est patrinus, si haberí possit. Unde inter confirmatum et patrinum oritur cognatio spiritualis. Ut quis licite sit patrínus oportet possideat requisita de baptismi patrinis praescripta.

Ad probandam collatam Confirmationem, satis est unius testis vel ipsius confirmati iusurandum.

Nomen confirmati inscriptum est in peculiari Curiae episcopalis libro aut in libro apud tabularium paroeciali conservando. Parochus proprius debet in libro quoque baptizatorum adnotationem facere de collata Confirmatione; si praesens non fuerit, minister vel per se ipsum vel per alium tenetur quamprimum eundem certiorem facere.

#### *De sanctissima Eucharistia (897-958)*

Prout sacramentum, Eucharistia definiri potest sacramentum quo sub speciebus panis ac vini corpus et sanguis Christi ad spiritualem animae refectionem continetur.

Relate ad Deum, est sacrificium quatenus ipse Jesus Christus realiter praesens simul vere et proprie Deo Patri offertur. Inde, Eucharistia sub dupli aspectu considerari potest: qua sacramentum et qua sacrificium, idest relate ad homines et relate ad Deum.

Minister, qui in persona Christi sacramentum Eucharistiae confidere valet et potestatem offerendi sacrificium habet, sacerdos solus est, qui applicare idem potest pro quibusvis tum vivis tum etiam defunctis.

Sacerdotibus commendatur sacra celebratio cotidiana.

Sacerdotes Eucharistiam concelebrare possunt.

Iusta causa et si sacerdotum penuria habeatur, loci Ordinarius concedere potest ut sacerdotes bis in die et etiam ter in diebus dominicis et festis de pracepto celebrent.

Requiritur in sacra celebratione partecipatio alicuius saltem fidelis. Orationes, quae sacerdotis celebrantis proprie sunt, diaconi et laici

ne recitent. Sacerdotibus catholicis vetitum est Eucharistiam concelebrare cum ministribus Ecclesiarum, quae communionem non habent cum Ecclesia catholica.

Ministri ordinarii sacrae communionis sunt Episcopi, presbyteri et diaconi. Ministri extraordinarii sunt acolyti necnon christifideles laici ad hoc deputati.

Per modum viatici, quod infirmos sui compotes reficere potest, officium et jus deferendi Eucharistiam habent ministri ordinarii et extraordinarii.

Quilibet baptizatus, qui jure non prohibetur et excommunicatus aut interdictus non sit, admitti debet ad sacram communionem.

Nisi in periculo mortis, Eucharistia ministrari potest pueris post accuratam praeparationem.

Minister, qui conscientius est peccati gravis, Missam ne celebret neve Corpori Domini communicet sine praemissa sacramentali confessione.

Qui Eucharistiam recepit potest Ipsam iterum suscipere eadem die solummodo intra eucharisticam celebrationem. Tempus ieiunii eucharistici est unius horae quoad cibum solidum et potum, excepta tantummodo aqua vel medicina.

Obligatio christifidelium importat communicandi saltem semel in anno, tempore paschali.

Sacrificium eucharisticum offerri debet ex pane substantialiter incorrupto et vino vere naturali, cui modicissima aqua miscenda est. Sacra communio conferatur sub sola specie panis aut sub utraque specie (panis et vini), consecrata intra eucharisticam celebrationem.

Eucharistica celebratio peragatur lingua latina aut alia lingua.

In celebratione et Eucharistiae ministracione sacerdotes et diaconi deferant vestem et sacra ornamenta ritus praescripta.

Sacerdos, infirmus aut aetate provectus aut caecus aliave infirmitate laborans, sacrificium eucharisticum celebrare potest sedens aut cum aliis sacerdotis vel laici instructi auxilio.

Celebratio et ministratio Eucharistiae potest inchoari generatim qualibet die et hora.

Particulatim Missa celebranda est super altare consecratum et in Ecclesia vel Oratorio vel loco honesto vel in templo ecclesiensi non

habente communionem cum Ecclesia catholica, sed in hoc casu iusta de causa deque licentia expressa et remoto scandalo.

Eucharistia servari debet in tabernaculo inamovibili, decenter ornato, oculis subiecto, adnexo in Ecclesia vel Oratorio. Clavis tabernaculi diligentissime custodiri debet. Particulae consecratae perpetuo conserventur in pyxide. Coram tabernaculo una saltem diu noctuque sine interruptione luceat.

Expositio Eucharistiae fieri potest cum ostensorio aut pyxide, nec habeatur durante celebratione Missae. Minister expositionis et benedictionis est sacerdos et diaconus.

Habeantur processiones sanctissimae Eucharistiae per vias publicas ductae, praesertim in sollemnitate Corporis et Sanguinis Christi, ad testificationem publicam erga Sanctissimi venerationem.

Ex more Ecclesiae sacerdoti Missam celebranti licet stipem oblatam recipere ut iuxta certam intentionem eam applicet. Sacerdos, plures eadem die Missas celebrans, stipem pro una tantum Missa facit suam; ceteras concredit in fines ab Ordinario praescriptos.

Ordinario loci advigilante, sacerdos accurate notare debet Missas quas celebrandas accepere quibusque satisfecerit.

ANNOTATIO: Res novae institutae sunt: Eucharistica concelebratio, sacra communio sub utraque specie et Eucharistiae celebratio peracta qualibet die et hora.

### *De sacramento Paenitentiae (959-997)*

Sacramentum novae Legis a Christo Domino institutum, quo peccata post Baptismum commissa homini contrito et confessio remittuntur per absolutionem sacramentalem, Paenitentia definiri solet.

Absolutio sacramentalis est forma. Remissio peccatorum est sacramenti effectus.

Ab aliis specifica huius sacramenti differentia exprimitur per verba quibus significantur contritio et confessio peccatorum necnon eorum remissio.

Minister Sacramenti paenitentiae solus sacerdos est, in quo requiritur potestas ordinis et iurisdictionis: potestas ordinis necessaria est, quia paenitentia est sacramentum; potestas iurisdictionis necessaria est, quia sacramentum exercetur per modum iudicij seu peccatorum remissionem.

Modus ordinarius, quo fidelis cum Deo et Ecclesia reconciliatur, est individualis confessio atque absolutio, nisi impossibilitas physica vel moralis eum excuset.

Absolutio pluribus insimul poenitentibus sine praevia individuali confessione, generali modo impertiri potest:

- si immineat periculum mortis et tempus ministris praesentibus non suppedat ad fideliū audiendas confessiones;
- si gravis adsit necessitas, videlicet quando, attento poenitentium numero, sacerdotium copia praesto non sit.

Locus sacramentalis confessionis est ecclesia vel oratorium, apud sedem confessionalem, aliorum oculis subiectam et ornatam craticula fixa ac tenuiter perforata inter poenitentem et confessarium. Confessio extra sedem confessionalem non recipit, nisi iusta causa.

Confessarii idonei debent esse, ubique ad confessiones excipiendas exercere possunt facultates, quae competens Auctoritas concedit ad tempus indeterminatum sive determinatum. Praeterquam revocatione ob gravem causam, facultates cessant ammissione officii vel domicilii aut excardinatione.

Minister paenitentiae in confessione procedere debet cum prudenter et discretione, a nomine complicis inquirendo abstiens.

Salutares et convenientes satisfactiones iniungere debet, ratione qualitatis et numeri peccatorum. Nec pro gravibus finitis peccatis absolvere potest sine retractatione vel damni reparacione. Obligatione servandi sacramentale sigillum tenentur confessarii, et hoc urget tum ex motivo iustitiae, tum praesertim ex motivo religionis.

Christifideles, qui jus habent confessarium libere malle, obligatione tenentur confitendi omnia peccata gravia et venalia etiam.

Indulgentia, quae ad mentem Codicis 1917, definitur: «remissio coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis, quam ecclesiastica Auctoritas ex thesauro Ecclesiae

concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii (can. 911)», dicitur plenaria et partialis, prout – ex mente concedentis – totam poenam temporalem vel eius partem remittit. Praeter supremam Ecclesiae Auctoritatem, indulgentias elargiri possunt tantum ii quibus haec potestas jure agnoscitur aut a Romano Pontifice conceditur.

Qui lucrare indulgentias potest esse debet baptizatus, non excommunicatus et in gratiae statu.

ANNOTATIO: Generatim ministri Paenitentiae gaudent facultate excipiendi ubique terrarum confessiones christifidelium.

#### *De sacramento Unctionis infirmorum (998-1007)*

Sacramentum unctionis infirmorum est sacramentum novae Legis, quo per unctionem olei benedicti et orationem sacerdotis confertur homini baptizato, aegrotanti animae et versanti in probabili mortis periculo ob corporis infirmitatem aut senectutem.

Oleum olivarum, in Sacramento extremae unctionis adhibendum, debet esse purum et eodem anno benedictum ab Episcopo aut in casu necessitatis a quolibet presbytero in ipsa tamen celebratione sacramenti.

Unctio corporis fieri debet per modum crucis.

Subiectus capax Sacramenti extremae unctionis est solus baptizatus, gravi seu periculo morbo vel senectute laborans.

Hoc Sacramentum, quod itinerari potest et in dubio etiam ministratur, conferendum non est illis qui in manifesto gravi peccato perseverant.

Valide Sacramentum administrant tantum presbyteri, sed praecipue sacerdotes quibus demandata est animarum cura.

Animarum pastores et infirmorum propinquí officium habent ut tempore opportuno infirmi subleventur.

*De Ordine* (1008-1054)

In sensu generali Ordo definitur a S. Thoma: «signaculum quodam Ecclesiae, quo spiritualis potestas traditur ordinato» (Suppl., q. 34, a. 2).

Hoc modo Ordo, prout sacramentum proprie dictum, definiri potest: Sacramentum novae Legis a Christo Domino institutum, quo traditur spiritualis potestas et confertur gratia ad rite obeunda munia ecclesiastica (Cappello, *Summ. Jur. Can.*, vol. II, pag. 262). Ita, «Ordo ex Christi institutione clericos a laicis in Ecclesia distinguit ad fidelium regimen et cultus divini ministerium» (can. 948 in Cod. 1917).

Ecclesia latina ordines maiores et minores habet. Sunt ordines maiores vel sacri: episcopatus, presbyteratus, diaconatus et ab antiquo subdiaconatus; ordines minores sunt: acolytatus, lectoratus et ab antiquo exorcistatus ac ostariatus.

Sed vero certum est episcopatum, presbyteratum et diaconatum esse de fide sacramenta, quae imprimunt characterem indelebilem, ideoque iterari nequeunt.

Episcopatus confert ministrandi Sacramentum ordinis et conficiendi plura sacramentalia ex jure divino atque ecclesiastico.

Presbyteratus tradit potestatem consecrandi Corpus et Sanguinem D.N. Iesu Christi, remittendi peccata, ministrandi Sacraenta quae non requirunt characterem episcopalem.

Diaconatus confert potestatem assistendi immediate sacerdoti, praedicandi, sub quibusdam condicionibus baptizandi et Communione distribuendi.

Constitutio «Sacramentum Ordinis» (30 nov. 1947) declarat manuum impositionem et verba Praefationis concomitantia esse de essentia diaconatus, presbyteratus et episcopatus, qui ordines sacri sunt. Hi Ordines conferri debent intra Missarum sollemnia die dominico vel festo de pracepto, sed ob rationes pastorales aliis etiam diebus. Eorundem collatio publice celebratur in ecclesia cathedrali necnon ob rationes tamen pastorales in alia ecclesia aut oratorio.

Minister valide ordinationis est omnis Episcopus consecratus.

Quoad episcopalem consecrationem, licet Episcopo consecrare a mandato pontificio et – nisi Sedis Apostolicae dispensatio intercesserit – cum interventu duorum saltem Episcoporum consecrantium.

Episcopus proprius per se ipse suos presbyteros et diaconos ordinet. Si tamen Episcopus proprius aegritudine vel alia iusta causa impeditus sit, ordinandum suum ad alium Episcopum dimittere potest. Litterae, quibus rogit Episcopum sive specialiter sive generaliter ut suo subdito ordinem conferat, dimissoriae dicuntur. Pro religiosis litteras dimissorias concedit proprius Superior maior.

Sacram Ordinationem valide recepit solus vir baptizatus, qui libere habeat intentionem suscipiendi ordines et sufficienter instructus sit debita scientia divina.

Alia conditio requisita ex parte subiecti ad licitam ordinationem est aetas canonica: Annus 25 completus pro presbyteratu, 23 completus pro diaconatu.

Diaconatus permanens esse potest uxoratus vel minus: requiritur annus 25 completus pro diaconatu non uxorato et annus 35 completus pro diaconatu uxorato uno simul uxoris consensu. Sed episcoporum Conferentiae statuere possunt aetatem superiorem, cuius dispensatio ultra annum praefinitum Apostolicae Sedi reservatur.

Aspirantes ad presbyteratum promoveri possunt ad diaconatum post expletum quintum annum cursus theologici. Diaconus antequam ad presbyteratum promoveatur partem in cura pastorali habeat.

Conditio requisita ad licitam ordinationem sunt istae:

- recepta sacra confirmatio;
- ordinum inferiorum susceptio gradatim facta;
- declaratio propria manu exarata et subscripta qua testificetur se sponte ac libere sacram ordinem mancipaturum esse;
- promissio ad obligationem coelibatus tantum ex parte presbytero et diacono permanente. Praeter qualitates positivas requiritur in subiecto immunitas ab impedimentis, quae veniunt nomine impedimenti perpetui vel irregularitatis sive impedimenti simplicis.

Sex enumerantur impedimenta perpetua vel irregularitates:

- defectus mentis;

- apostasia a fide, haeresia, schisma;
  - matrimonium etiam civile tantum attentatum;
  - voluntarium homicidium perpetratum aut abortum procuratum;
  - seipsius vel alii graviter et dolose mutilatio vel sibi vitam adimere tentativum;
- actus ordinis positus constitutis in ordine episcopatus vel presbyteratus reservatus.

Sunt simpliciter impedimenta: viri uxorem habentes, neophiti et qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam.

Christifideles tenentur obligatione impedimenta ad sacros ordines revelandi.

Codex, praeter impedimenta de quo supra, recenset quoque in canone 1044 irregularitates ad exercendos ordines receptos et quae ab ordinibus exercendis impediuntur.

Unice Apostolicae Sedi reservatur dispensatio ab omnibus irregulatibus et impedimentis nuntiatis in canone 1047.

Ignorantia non excusat ab impedimentis.

Ad ultimum sequentia documenta requiruntur ut candidatus promoveri ad sacros ordines possit: testimonium de studiis rite peractis, testimonium recepti diaconatus si de ordinatione presbyterali agatur, testimonium recepti baptismi et confirmationis si de ordinatione diaconali agatur necnon testimonia celebrati matrimonii et consensus uxoris pro promovendo ad diaconatum uxoratum.

Quoad scrutinium de qualitatibus in ordinando requisitis, serventur praescripta canonum 1051 et 1052.

Expleta ordinatione, nomen ordinati in peculiari libro apud Curiam loci notetur.

**ANNOTATIO:** Inter renovationes praecipuas eminent: Institutio diaconati permanentis et uxorati; soppressio tonsurae; exclusio tituli canonici de beneficio vel patrimonio vel pensione; abolitio defectus natalium (cf. can. 984 apud Codicem 1917).

## *De Matrimonio (1055-1165)*

Matrimonium potest et debet considerari ut actus seu in fieri et ut status seu in facto esse.

Matrimonium, ut actus in fieri, definiri potest: contractus legitimus et individuus maris et feminae, quo vir et mulier inter se totius vitae consortium constituunt, indole sua naturali ordinatum ad bonum coniugum atque ad prolis generationem et educationem.

Matrimonium in facto est: societas coniugalnis orta ex contractu, quod secum fert tum mutuum jus perfectum et exclusivum cum relativa obligatione in corpus alterius in ordine ad prolem generandam et educandam, tum etiam communionem thori, mensae et habitationis.

Matrimonium inter baptizatos ad Sacramenti dignitatem evenetur, quia Christus Dominus ipsum fidelium matrimonialem contratum gratiae spiritualis collativum fecit, idest Sacramentum constituit.

Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas et indissolubilitas, cum ex jure naturae matrimonium est monogamicum et aliquo modo inest matrimonio ipso. Quare ex singulari natura theologi post S. Augustinum distinguere solent triplex bonum matrimonii: bonum prolis, quod in potestate generandi et educandi prolem consistit; bonum fidei, quod in mutua fidelitate consistit; bonum sacramenti, quod in indissolubilate seu firmitate consistit.

Contractus matrimonialis sine consensu ne intelligi quidem potest. Consensus ad ineundum matrimonium est necessarius, essentialis in utraque parte ad valide contrahendum, ut nulla auctoritate humana suppleri potest. Requiritur consensus inter personas jure habiles et legitime manifestatus. In matrimonio consensus est actus voluntatis quo utraque pars foedere irrevocabili sese mutuo tradunt et matrimonium constituunt.

Matrimonium inter catholicos, etsi una tantum pars sit baptizata, regit jus divinum, sive naturale sive positivum, et jus canonicum atque etiam legem civilem quoad effectus mere civiles.

Quia matrimonium gaudet favore juris, in dubio standum est pro suo valore donec contrarium probetur. Matrimonium validum dicitur, si rite initum est servatis omnibus requisitis ad valorem necessariis tum

ex parte personarum tum ex parte consensus eiusque formae praescriptae; invalidum etiam nullum aut irritum, si initum est sine aliquo requisito ad validitatem necessario. Matrimonium inter baptizatos validum dicitur ratum, si nondum copula carnali perfecta fuerit consummatum; dicitur ratum et consummatum, si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus ad quem natura sua ordinatur contractus et quo coniuges fiunt una caro. Nisi contrarium probetur, cohabitatio coniugum consummationem praesumit.

Matrimonium invalidum dicitur putativum, si bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat; dicitur attentatum, si mala fide unius vel utriusque partis propter impedimentum inhabilis celebratur.

Promisio matrimonii, quae proprie dicitur «sponsalia» et nomine venit «sponsalium» non dat actionem ad petendam matrimonii celebrationem, sed solum actionem ad reparationem damni, si quae debeatur. Promissio regitur jure particulari ab episcoporum Conferentia statuto, habita ratione consuetudinum et legum civilium.

Ordinario loci suspiciente, pastores animarum obligatione tenentur curandi praedicatione, personali praeparatione et fructuosa liturgica celebratione, ut nupturientes instituantur de significatione matrimonii christiani deque eius munere.

Antequam matrimonium, catholici, qui admitti nequeunt nisi baptizati sint, Sacramentum confirmationis recipient. Antequam celebrationem, nihil constare debet quod eius validitatem ac liceitatem obsistit.

Conferentia episcoporum officium habet statuere normas de examine sponsorum, de publicationibus matrimonialibus necnon de iis quae praemittuntur matrimonio. In periculo mortis, si aliae probatores haberi nequeant, sufficit affirmatio contrahentium se baptizatos esse et nullo detineri impedimento.

Omnis fideles tenentur parocco aut loci Ordinario manifestare impedimenta, quae matrimonii celebratione obstant.

Parochus, cui jus est assistendi matrimonio, diligenter investigare debet circa nupturientium libertatem et qualitates. Quod, si investiga-

tio peracta fuerit ab alio parocho, de huius exitu eundem parochum certiorem reddere debet.

Canon 1071 recitat: Excepto casu necessitatis, sine licentia Ordinarii loci ne quis assistat:

1. matrimonium vagorum;
2. matrimonium quod ad normam legis civilis agnosci vel celebrari nequeat;
3. matrimonio eius qui obligationibus teneatur naturalibus erga aliam partem filiosve ex praecedenti unione ortos;
4. matrimonio eius qui notorie catholicam fidem abiecerit;
5. matrimonio eius qui censura innodatus sit;
6. matrimonio filii familias minoris, insciis aut rationabiliter invitatis parentibus;
7. matrimonium per procuratorem ineundo, de quo in canone 1105.

In capite II Codex de impedimentis in genere agit, dein de impedimentis dirimentibus in specie.

Ad normam Codicis impedimentum matrimoniale definiri potest: Circumstantia externa, jure divino vel humano inducta, quae personam aut inhabilem facit ad matrimonium aut arcet ab eo licite contrahendo (Cappello, *Summ. jur. can.*, vol. II, pag. 341).

Impedimenta alia sunt juris divini, ut v.g. impotentia; alia juris humani, ut v.g. publica honestas. Ratione effectus, impedimentum potest esse dirimens et in hoc casu graviter prohibet matrimonium contrahendum ac impedit quominus valide contrahatur. Pro gradu vel modo quo cognoscuntur, impedimenta distinguuntur in publica et occulta, quae vel minus probari in foro externo possunt.

Pro certo habendo esse supremae tantum Ecclesiae Auctoritatis authentice declarare quandonam jus divinum matrimonium prohibeat vel dirimat. Consuetudo inducere non posse novum impedimentum nec existentibus contrarium inferre.

Loci Ordinarius propriis subditis et omnibus in proprio territorio degentibus vetare potest ad tempus matrimonium in casibus peculiariibus. Pariter, exceptis casibus quorum dispensatio Sedi Apostolicae reservatur, Ordinarius loci dispensare potest ab omnibus impedimen-

tis juris ecclesiastici proprios subditos et omnes in proprio territorio degentes.

Uni Sedi Apostolicae reservatur dispensatio ab impedimento orto ex sacris ordinibus aut ex voto publico perpetuo castitatis atque ab impedimento criminis, tametsi numquam dari potest dispensatio ab impedimento consanguinitatis in linea recta aut in secundo gradu lineae collateralis.

Urgente mortis periculo, Ordinarius loci a forma solemni et ab omnibus impedimentis juris mere ecclesiastici dispensare potest.

Similiter, eadem dispensandi potestate pollet tum parochus tum minister sacer delegatus tum quilibet sacerdos vel diaconus, sed solum pro casibus in quibus ne quidem Ordinarius adiri possit.

Confessarius in mortis periculo dispensat ab impedimentis occultis pro foro interno sive intra sive extra confessionem.

Nuptiis paratis et impedimento detecto, Ordinarius loci intra fines proprietarum facultatum gaudet potestate dispensandi, dummodo casus sit occultus et matrimonium differri nequeat propter probabile gravis mali periculum. Item valet ad matrimonium convalidandum.

Dispensationum concessio adnotatur in peculiaribus libris matrimoniorum aut in secreto Curiae archivo asservatis.

Impedimenta dirimentia sunt:

AETAS: Jure naturae, ad validitatem matrimonii ea discretio requiritur qua sponsi essentiales huius contractus obligationes cognoscere et ad illas se obligare possint, etiamsi nondum copulae carnalis capaces sint. Ideoque matrimonium validum inire non possunt vir ante decimum sextum aetatis annum completum et mulier ante decimum quartum item completum. Episcoporum Conferentia jus statuere aetatem superiorem.

IMPOTENTIA: Agitur de incapacitate perficiendi copulam coniugallem sive ex parte viri sive ex parte mulieris. Copula coniugalis requirit penetrationem per erectum membrum virile vasis foemineis et effusione virilis seminis; non postulat ordinem aut seminis vitiositatem (decr. Congr. Doctr. Fid. 13 maii 1977).

Ut potentia sit impedimentum debet esse antecedens et perpetua.

Sterilitas, quae tamen per accidens generationem prolis non producit etsi copula perfecta fieri possit, matrimonium nec dirimit nec impedit.

Impotentia esse potest absoluta, quae copulam cum omnibus personis alterius sexus impossibilem reddit, et relativa, quae tantum cum certa persona.

In dubio juris vel facti matrimonium non est impediendum nec nullum declarandum.

LIGAMEN: Nemo potest valide alias nuptias inire si vinculo tenetur prioris matrimonii, quamquam non consummati. Duo requiruntur ut revera adsit:

- matrimonium precedens debet esse validum, sive consummatum sive ratum tantum;
- prius matrimonium adhuc subsistere debet vere et obiective, id est non debet esse legitime solutum.

DISPARITAS CULTUS: Nullum est matrimonium contractum a persona baptizata in Ecclesia catholica vel in eandem recepta cum altera non baptizata. Impedimentum est juris mere ecclesiastici.

SACER ORDO: Qui in sacris Ordinibus, libere susceptis de quibusque sufficientem cognitionem habuit quoad castitatem servandam, constitutus est, invalide matrimonium attentat. Impedimentum hoc est juris ecclesiastici.

SOLLEMNIS PROFESSIO RELIGIOSA: Item invalide matrimonium attentant qui voto publico perpetuo castitatis in Instituto religioso professi sunt.

RAPTUS: Item est abductio personae per vim facta. Victima potest esse mas aut femina, sed – ubi de impedimento matrimonii agitur – raptus solius feminae lege sancitur. Impedimentum cessat si mulier, intuitu matrimonii rapta, in loco tuto ac libero constituta sit et sponte matrimonium eligat.

CRIMEN: Matrimonium invalide attentat qui, intuitu nuptiarum cum certa persona, mortem huius coniugi vel proprio intulit. Item qui mutua opera physica vel morali mortem coniugi intulerunt.

CONSANGUINITAS: Est vinculum personarum ab eodem stipe proximo descendientium, carnali propagatione contractum. Stipes est

persona a qua tamquam radice communi consanguinei descendunt (Vermeersch-Creusen, in *Ep. Jur. Can.*, tom. II, pag. 251). Linea est ordinata series personarum quae ab uno stipite descendunt. Vocatur recta si consanguineorum alter ab altero originem duxit, secus est collateralis. Gradus consanguinitatis est mensura distantiae unius personae ab altera in eadem linea. In linea recta tot sunt gradus quot generationes seu quot personae, stipite dempto. In linea collaterali seu obliqua tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae, si tractus uterque sit aequalis; si autem duo tractus sint inaequales, tot gradus quot generationes in tractu longiore.

In linea recta consanguinitatis et in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive matrimonium inter omnes ascendentes et descendentes, tum legitimos tum naturales, numquam permittatur. In linea collaterali usque ad quartum gradum inclusive matrimonium irritum est.

**Impedimentum consanguinitatis** non multiplicatur: hoc accidit cum inter ascendentibus communes consanguinitas saltem in tertio gradu existit aut si duo fratres duas sorores ducant aut si quis duxit prolem, quae antea habuit ex personis consanguineis.

**AFFINITAS:** Est propinquitas quae oritur ex matrimonio legitimo et viget inter virum dumtaxat et consanguineos mulieris ac vice versa. Affinitas in linea recta matrimonium dirimit in quolibet gradu.

**PUBLICA HONESTAS:** Oritur ex matrimonio invalido post instauratam vitam communem aut ex publico vel notorio concubinatu. Nuptias dirimit in primo gradu lineae rectae inter virum et consanguineos mulieris ac vice versa.

**COGNATIO LEGALIS:** Qui in linea recta aut in secundo gradu lineae collateralis coniuncti sunt ex adoptione legali matrimonium inter se valide contrahere nequeunt.

Matrimonium, cum sit contractus, consensum partium elementum necessarium exigit. Canon 1057 recitat: «Matrimonium facit partium consensus inter personas jure habiles legitime manifestatus, qui nulla humana potestate suppleri valet».

Non sunt jure habiles et ideo capaces matrimonii contrahendi:

- qui sufficienti rationis usu carent;
- qui laborant gravi defectu discretionis iudicij circa jura et officia matrimonialia essentialia;
- qui obligationes matrimonii essentiales assumere non valent ob causas naturae psychicae.

Ad matrimonialem consensum habendum, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse consortium omnis vitae permanens inter virum et mulierem, ordinatum ad filios procreandos concursu quodam et familiaritate corporis. Haec ignorantia post pubertatem non praesumitur.

Praeter ignorantiam, vitiant consensum: error, dissensus internus voluntatis, defectus libertatis ex vi et metu.

Error in persona, qui habetur ubi circa identitatem personae versatur, invalidum reddit matrimonium. Error in qualitate personae, etsi dat causam contractui, matrimonium irritum non reddit «nisi haec qualitas directe et principaliter intendatur» a consorte.

Invalide contrahit etiam qui matrimonium init, deceptus dolo ad obtinendum consensum patrato. Dummodo voluntatem non determinet, error circa matrimonii proprietates consensum non vitiat.

Canon 1101 prospicit casus simulationis.

Simulatio habetur ubi contrahens non habet intentionem contrahendi et partem decipit. Ubi adest, simulatio matrimonium nullum facit si demonstrari tamen potest, quamquam praesumitur conformem verbis esse internum animi consensum.

Qui positivo voluntatis actu matrimonium ipsum excludat aut omne jus ad coniugalem actum vel essentiale aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit.

Sub condicione de futuro valide contrahi nequit. Sub condicione de praeterito vel de praesenti matrimonium validum vel non est, prout id quod subest condicione existit vel non. Consensus condicionatus licite apponi potest per licentiam Ordinarii loci scripto datam. Plane, condicio, quae confundenda non est cum adiectis modo aut termine, est circumstantia a qua partes existentiam ipsius obligationis contractus pendere volunt.

Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco – etiam haud consulto – incussum, a quo ut quis se liberet eligere cogatur matrimonium.

Ad matrimonium ineundum requiritur ut contrahentes sint praesentes et consensum manifeste eliciant verbis aut signis aequipollentibus. Sed tamen matrimonium per procuratorem contrahi potest. Praesentia quoque interpretis admittetur. Ut valide procurator munus suum exerceat, requiritur preditus sit mandato speciali ad contrahendum cum certa et determinata persona; mandatum detur per scripturam subsignatam a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci aut a sacerdote ab alterutro delegato, vel saltem a duobus testibus, aut per documentum ad normam juris civilis authenticum; procurator ab ipso mandante designetur et personaliter munere suo fungatur.

Valida matrimonii celebratio requiritur praesentia loci Ordinarii aut parochi aut sacerdotis vel diaconi, ab alterutro delegati, qui assistant signate cum duobus testibus, secundum regulas in Codice expressas.

Ordinarius et parochus, qui valide assistere possunt matrimonium eorum qui saltem alteruter subditus sit intra fines propriae iurisdictionis, facultatem assistendi delegare possunt sacerdotibus et diaconis. Episcopus tamen dioecesanus delegare laicos idoneos potest ubi sacerdotes et diaconi desunt, praevio favorabili voto episcoporum Conferentiae et obtenta Sanctae Sedis licentia.

Locus celebrationis ordinarius est paroecia ubi alterutra pars habet domicilium vel quasi domicilium vel menstruam commorationem, aut – si de vagis agitur – paroecia ubi actu commorantur. De licentia tamen Ordinarii loci vel parochi, celebratio in alia ecclesia vel oratorio fieri potest.

Posito incommodo gravi habendi vel adeundi assistentem competentem, validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus in mortis periculo aut extra mortis periculo, dummodo praevideatur eius condicionem rerum esse per mensem duraturam.

Ad statutam superius formam servandam tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati aut qui matrimonium celebrant ubi alterutra pars in Ecclesia catholica baptizata vel in Eandem recepta sit.

Testimonium initi matrimonii servandum est in libro matrimoniorum paroeciae in qua celebratum est et in libro baptismorum paroeciae in qua sponsi baptizati fuerunt. Annotatio in regestis parochi loci celebrationis fieri debet etiam quoties matrimonium covalidatur vel nullum declaratur vel legitime praeterquam morte solvitur.

Mixta religio habetur inter duas personas, quarum altera sit catholica, altera vero adscripta Ecclesiae vel Communitati ecclesiali non habenti plenam communionem cum Ecclesia catholica. Matrimonium inter illas personas prohibitum est sine expressa Auctoritatis competentis licentia.

De matrimoniis mixtis Ordinarius loci licentiam concedere potest, si urgeant iustae ac graves causae et nisi tres condiciones impleantur, scilicet: pars catholica declaret se paratam esse pericula a fide deficiendi removere atque praestet sinceram promissionem baptizare et educere proles in Ecclesia catholica; de his promissionibus certior fiat altera pars; ambae partes edoceantur de finibus et proprietatibus essentialibus matrimonii. Episcoporum Conferentia jus habet statuere modum promissionis et rationem definire.

Quoad celebrationis formam, serventur praescripta canonis 1108.

Canonicae leges circa nuptiales sollemnitates in eum finem omnes tendunt ut quam latissime coniugia publica et notoria fiant. Attamen ex gravi et urgente causa Ordinarius loci permittere potest ut matrimonium secreto seu occulto celebretur coram parocho et testibus, omissis proclamationibus et promissione secretum servandi. Ordinarius obligatione secreti solvit, si grave scandalum aut gravis iniuria erga matrimonii sanctitatem immineat. Matrimonium secretum adnotandum est in peculiari libro servando in secreto Curiae tabulario.

Alii sunt effectus matrimonii prout Sacramentum et alii prout est contractus. Alii sunt spirituales et supernaturales, alii temporales, alii respiciunt coniuges, alii prolem.

Quoad coniuges: enascitur inter eos vinculum natura sua perpetuum et exclusivum; utrique coniugi aequum officium et jus est ad ea quae pertinent ad consortium vitae coniugalnis; coniuges denique obligatione tenentur prolis curae et educationis physicae, socialis, culturalis, moralis et religiosae.

Quoad prolem: legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo; pater est quem iustae nuptiae demonstrant, nisi contrarium probetur; filii legitimi praesumuntur qui nati sunt post saltem 180 a die celebrati matrimonii vel infra dies 300 a die dissolutae vitae coniugalnis. Legitima efficitur proles per subsequens parentum matrimonium, qua propter filii legitimati in omnibus aequiparantur legitimis.

Ex doctrina catholica matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest. Quae indissolubilitas nititur sanctitate Sacramenti et praeterea – quod attinet ad factum consummationis ac positivam Dei voluntatem – matrimonium reddit symbolum unionis Christi cum Ecclesia.

Quamdiu matrimonium inter baptizatos vel inter partem non baptizatam et partem baptizatam non est consummatum dissolvi potest ex iusta causa a Romano Pontifice, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera invita sit.

Matrimonium legitimum, etiam non consummatum, dum utraque pars in infidelitate manet, est jure divino naturali et positivo omnino indissolubile. At, si unus coniugum infidelium convertitur ad fidem catholicam, altero remanente in infidelitate et nolente cohabitare aut nolente habitare pacifice sine contumelia Creatoris, coniux fidelis, suscepto baptismate, potest alias nuptias inire, quibus matrimonium in infidelitate contractum solvitur. In casu pars non baptizata semper interpellari debet de auctoritate loci Ordinarii partis conversae et in foro externo legitime constare debet. Non baptizatus conversus, simul habens plures uxores non baptizatas, novum matrimonium contrahere potest cum una ex illis quae apte retinet. Hoc est privilegium paolini.

Canon 1149 declarat pro non baptizato aliud privilegium Fidei, diversum a privilegio paolino supra dicto: qui enim, recepto in Ecclesia catholica baptismo, cum coniuge non baptizato restaurare nequeat cohabitationem ratione captivitatis vel persecutionis, aliud matrimonium contrahere potest. Itidem, silente Codice, Romanus Pontifex concedere potest dissolutionem ob particulares rationes prioris matri-

monii contracti inter partes quarum una baptizata non sit, ex privilegio petrino ab Instructione Congregationis pro Doctrina Fidei (6 decembris 1973) ordinato.

In re dubia privilegium fidei favore juris gaudet.

Nisi iusta et legitima causa eos excuset, coniuges communionem vitae servare debent. Ista communio suspendi potest manente vinculo et ideo separatio eorum esse potest perpetua et temporanea, mutuo consensu facta vel non, ex culpa aut sine culpa. Causa separationis defertur ad competentem Auctoritatem ecclesiasticam et semper postulat debitam filiorum sustentationem et educationem. Jus separationis renuntiatur ut vitam coniugalem sponsi redintegrare possint.

Convalidatio matrimonii est actus quo matrimonium, sive bona sive mala fide nulliter contractum, ita restauratur ut valere incipiat. Matrimonium invalidum convalidatio validum reddit, remota causa invalidationis et renovato consensu.

Ad convalidandum matrimonium requiritur;

- ut impedimentum cesseret;
- ut renovetur consensus saltem a parte impedimenti conscientia.

Et, quoniam matrimonium invalidum esse potest ex defectu habilitatis personarum aut ex defectu consensus aut ex defectu formae, consequenter triplex casus convalidationis est possibilis. Effectus convalidationis simplicis non retrotrahuntur.

Sanatio in radice est convalidatio matrimonii irriti sine renovacione consensus, quam ob rem effectus matrimonii regreditur usque ad initum matrimonium.

Ut sanatio in radice concedi possit requiritur:

- ut matrimonium invalidum sit ob impedimentum juris ecclesiastici vel ob defectum formae;
- ut matrimonium sanandum initum fuerit cum consensu naturaliter sufficienti;
- ut consensus ab initio datus perseveret;
- si gravis causa sit.

Sanatio valide concedi potest, etiam alterutra vel utraque parte conscientia, ab Apostolica Sede et in singulis casibus ab Episcopo dioecesano etiam.

ANNOTATIO: Quoad Sacramentum matrimonii in novo Codice animadvertuntur: diversa matrimonii perscriptio canonica; singularis assistentia christifidelibus ut de significatione matrimonii deque munere coniugum instituantur; usque ad quartum gradum inclusive contemplatur impedimentum consanguinitatis collateralis; valide matrimonii celebrationi assistere possunt diaconi aut laici idonei; vox explanata «de impedimentis impedientibus» extenuatur, immo vero Codex eam excludet ita ut impedimentum cognitionis spiritualis; dispensatio impedimenti criminis a Sancta Sede tantum reservata; circa vitia consensus, amentia et dolus aestimantur; ad ultimum nomine matrimonii secreti invenitur «matrimonium conscientiae».